

mus. Bene Vale clar. & opt. Dn. Compater  
& fratris tui Pauli nomine noli moras necte-  
re : nam ille mihi videtur pecuniam a mer-  
catoribus non indiligenter exacturus. Basi-  
leæ d. 13. Martii 1588.

### EPISTOLA LIII.

**S** Vir clarissime & Compater amantissi-  
me, non te fugit, factum quum ante de-  
cennium a nobis domum redires, ut te nobi-  
li Johanni ab Vlm, Præsidis Rœtelani fratri,  
qui jam præsidem Badenweilæ agit, adjun-  
geres, cumque eo Argentinam descenderes.  
Hic ipse nunc ad vos profectus, te potissi-  
mum nullo tuo sumtu, salutare cupit : ut  
patriæ tuæ loca ἐπίσημα, quæ hospitibus  
monstrare soletis tuo beneficio ipse quoque  
intueri possit. Scio te libenter id præstitu-  
rum etiam non rogatum. Quod tamen ve-  
rerer ne forte abesses, scripsi & ad D. Baum-  
gartnerum. D. Ant. Geudero viro ampliff.  
salutem pl. dico & illud testor recens a Spe-  
ctio & Stofsiis nobilibus nunciatum, recte  
ipsius filium valere. Muffelius etiam recens  
mihi commendavit filium civis Noribergici,  
qui nunc in Collegio nostro degit. De illis  
Deus, ut se ipsos puros servent, & ut inco-  
lumes